



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

XXXIV. De Treuga & pace. D. 2. EC. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

ditionem, v. g. quam Regulares exempti promittunt Episcopo in ordinatione, de qua vide *L. 5. T. 31. n. 1.*

TITULUS XXXIV.

De Treuga & Pace.

Differentia est inter Treugam & Pacem; nam PAX est totalis & perpetua discordiæ peremptio, voluntarie inter litigantes facta, estò una pars per potentiam alterius ad hoc cogatur invita; nam etiam *coacta voluntas est voluntas*, *Can. Merito 15. Q. 1.* Econtra TREUGA est securitas personis & rebus ad tempus præstita, discordiâ nondum finitâ, diciturque armittitium vel induciæ; estque vel *conventionalis*, quæ ex conventionione litigantium initur, à qua formam & modum recipit; vel *Canonica* seu legalis, à Lege vel Canone statuta. Sic *c. 1. h. t.*, Treugas ab adventu Domini usque Epiphaniam, & à Septuagesima usque Pascha inviolabiliter observari præcipitur. Et *c. 2.* Ut Presbyteri, mercatores, rustici & animalia, quibus arant, congruâ securitate lætentur. Verùm hi Canones cum suis pœnis non sunt usu recepti, & inter arma silent leges.

A Canonistis *h. t.* tractatur de bello paci

opposito, de quo actum in Nucl. Theol.
Exam. 26. n. 8. §. 5.

TITULUS XXXV.

De Pactis.

I. Quæ de Pactis seu Contractibus in generaliter hinc tradunt Canonistæ, videtur in Nucl. Theol. *Exam. 13. & seq.* Quibus adde, PACTUM celeberrimè dividi in *Nudum*, quod in sola paciscentium conventionem consistit, paritque obligationem in foro interno; nam *c. 1. h. t.* dicitur: „Pacta sunt servanda. Et *c. 3.* Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, operari compleantur: & *Vestitum*, quod præ conventionem partium habet aliud iuramentum administratum, ratione cuius actio civilis in foro externo oritur, ut si vestiatur stipulatione, quæ olim fieri debebat inter rogatione unius & responsione alterius v. g. *Promittis, te mihi tantum daturum. Promitto.* Hodie plerùmque vestitur pacta vel per publicum Instrumentum Notarii, vel per simplicem scripturam manu promissoris subscriptam cum Consule & die.

2. I. In Decret. specialiter reprobantur pacta sequentia. C. 4. „Cum Publius Clericus & Monasterium A. in causa inter-